



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxix. Ad fluxionem capitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

tum iniiciantur, & nunquam ex capite laborabit. Vel rutam syluestrem cum oleo Hispanico in sartagine coquito, donec rubescat: tum ex igne remoueto; & cum refrixerit, in vitreum poculum indito, eoque carnem illitam dabis accipitri edendam.

Ad fluxionem capitis.

ACCIPITREM fluxionibus laborantem ita curabis. aloen in iocinoris modum concretam non multum contundes, in carnem abdes; atque ita per septem dies ales, & ad sanitatem perduces. Vel balsamum, picem, cedrium, semina erucæ & rutæ, acetum, simul conteres, hisque caput accipitris oblines.

Ad occultum morbum.

ACCIPITRIS interiora ægrotare ex nimio frigore cognosces, cum excrementa reddit crocea, aut cruenta: alas autem habet remissas & laxas, capitis horrentes plumas. ita curabis. Suillam carnem butyro oblitam accipitri dabis. Caprinam carnem salsam, & panem bene coctum, infriatum in lac addes, accipitrique dabis. Hoc tamdiu facito, dum stercus purum reddat, & corpus confirmatum videas.